



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

XV. Vt abbates & monachi saeculari patrocinio non vtantur, & principem sine episcopi sui permissu non adeant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

ANNO
CHRISTI
650.

sidentibus nobis in sancta Synodo in querimoniam detulerunt, quod oratoria per villas potentum iam longo constructa tempore, & facultates ibidem collatas, ipsi quorum villæ sunt episcopis contradicant, & iam nec ipsos clericos, qui ad ipsa oratoria deseruiunt, ab archidiacono coerceri permittant: quod conuenit emendari; ita dumtaxat vt in potestate sit episcopi, & de ordinatione clericorum, & de facultate ibidem collata, qualiter ad ipsa oratoria & officium diuinum possit impleri, & sacra libamina consecrari. Quod si quis contradixerit, iuxta priscos Canones communione priuetur.

XV.

Vt abbates & monachi, aut agentes monasteriorum, patrocinio sæculari penitus non vtantur; nec ad principis præsentiam sine episcopi sui permissu ambulare audeant. Quod si fecerint, a suis episcopis excommunicentur.

XVI.

Vt nullus episcopus, neque presbyter, vel abbas, seu diaconus per præmium ad sacrum ordinem amodo penitus accedat. Quod qui fecerit, ipso honore, quem præmiis comparare præsumpserit, omnino priuetur.

XVII.

Et quia multa per præsumptionem proueniunt, quæ Deo minus placita, & sacris Canonibus videntur esse contraria, quæ a sacerdotibus necesse est coerceri, ita sancta Synodus instituit, vt nullus sæcularium nec in ecclesia, nec infra atrium ipsius